

THEOLOGIA

PRAEFATIO IN THEOLOGIAM

Ab adversario Dei ad Deum transitum facimus. Nobilissimum est hoc Philosophiae obiectum, ac nulla est excellentior cognitio cognitione Dei, licet propter obiecti praestantiam et sublimitatem, ea sit in hac vita mortali manca et incompleta. Quamvis imperfecta sit nostra cognitio de Deo, fatendum est tamen multa de ipso naturaliter sciri posse, et quidem cum plenissima certitudine, qua maiorem non sibi vindicant ceterae scientiae. Quoniam quaevis notitia rerum altissimarum et eorum quos diligimus est valde desiderabilis, heic autem agitur de Eo qui finis est noster et omne bonum nostrum, oportet ut quantum in nobis est, investigatio quam instituimus nihil praetermittat eorum quae ratione duce de Deo sciri possunt, eo tamen semper contententes ut amor noster erga Deum maior sit quam scientia quam de ipso habemus. Ingrediamur igitur ratione duce, amore comite hanc nobilissimam et suavissimam tractationem, ab eo implorantes regi rationem nostram qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum.
